



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio VIII. In Titulum VIII. De Conjugio Leprosorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

QUÆSTIO VIII.

In Titulum VIII. De Conjugio Leproforum.

1030. **Q**uod hic dicitur de lepra in ordine ad matrimonium, intelligendum venit de quovis morbo contagioso, seu infectivo; quo posito, quæstio est. 1. an sponsalia de futuro solvantur, superveniente leprâ uni sponforum? *Re. solvi ex parte non infecti, si prius hunc defectum ignoravit; ratio consistit in metu infectionis, qui merito facit invitum, & constat ex n. 315. ac decisum est in c. fin. h. t. ubi Gl. V. Cogi non debet, idem dicendum ait de qualibet alia enormi deformitate ex c. quemadmodum de jurejurando.*

1031. Quæstio est. 2. an Leprosi possint inire matrimonium? *Re. affirmative ex c. quoniam. 3. h. t. ibi: Leprosi autem, si continere nolunt, & aliquam, que sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis, ad matrimonium convolare.*

1032. Quæstio est. 3. an uni conjugum superveniente lepra solvatur matrimonium quoad vinculum? *Re. negative ex c. i. & 2. h. t. ibi: quoniam nemini licet, exceptâ causâ fornicationis, uxorem dimittere, constat, quod sive mulier leprâ percussa fuerit, seu aliâ gravi infirmitate detenta, non est à viro separanda, vel etiam dimittenda.*

1033. Quæstio est. 4. an solvatur saltem quoad thorum? *Re. communiter negative ex c. i. h. t. etiam si matrimonium sit ratum tantum: sed hoc commodè intelligi potest de obligatione, non debiti, sed mutui obsequii; solum enim dicitur: cum sint una caro, non debet alter sine altero esse diutius, sed uxores viros, & viri uxores, etiam Leprosas sequantur, & eis conjugali affectione ministrent; si autem ad hoc induci non possent, eis injungendum, ut uterque altero vivente continentiam servet; secus, per excommunicationem adstringantur. Ubi nota præterea ex textu hujus c. solum Judicem Ecclesiasticum esse competentem Judicem, quando agitur de conjugum separatione ob lepram, ut colligitur ex c. pervenit. 1. h. t. cum agatur de obligatione ex contractu sacramentali. Deinde, conjuges non debere, nec posse esse diutius separatos, nec valere statutum, aut consuetudinem, ut viri diutius*

sine uxore sint; pat. ex eod. c. i. ibi, *quoniam vir, & uxor una caro sunt, non debet alter sine altero diutius esse.* Hinc Sanchez l. 9. *matr. d. 4. n. 2.* apud Barbof. in c. 1. h. t. n. 3. asserit, quod conjuges jure naturali, ac divino simul habitare teneantur; quale autem censeri debeat diutius tempus absentie? censet glossa *ibid. v. diutius*, judicis arbitrio relinquendum.

Quæstio est. 5. an Conjux, non infectus, leproso petenti debitum, reddere teneatur? *Re. affirmative in c. 2. h. t. ibi. quod si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto, nulla in hoc casu exceptio reperitur; sed hoc temperandum judicat Zoësius h. t. v. 2. nisi subit morale periculum infectionis; cum nemo se obliget per matrimonii contractum ad concedendum alteri usum corporis, nisi salvâ incolumitate vitæ, quod maximè procedit in morbo gallico; secus tamen si, quando matrimonium inivit, alterius infectionem scivit.*

Not. 2. matrimonium ritè contractum propter supervenientem lepram in uno conjugum non solvi quoad vinculum, tit constat ex c. *Hi, cum seq. 32. q. 7.* ubi Nicolaus Papa ad Carolum Moguntinensem Episcopum scribens, *hi, ait, qui matrimonium sani contraxerint, & unè ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt.* Similiter sentiendum de his, qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à Barbaris exsecti fuerint; & Fabius Pontifex in c. *neque, 26. ead. c. & q. ibi: neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separantur.*

Dices: Matrimonium ratum quoad vinculum parum distat à consummato; sed ratum dissolvitur per lepram supervenientem c. *fin. h. t. ibi: ubi dicitur: sanum, propter supervenientem alteri conjugi lepram non esse cogendum ad consummandum matrimonium; cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum;*

Mm 3

ergo

ergo etiam matrimonium consummatum dissolvitur per lepram alteri supervenientem. & transmissa in præsens majori negotio. Nam textus in *cit. c. fin.* loquitur tantum de casu, quo sponsalibus de futuro supervenerit lepra; & resolvit, sanum tunc non esse cogendum ad matrimonium consummandum, hoc est, *inendum*. Matrimonium enim prius consensu mutuo consummandum, seu perficiendum est, quam copulâ carnali.

1037. Instabis: in *c. proposuisti. 18. caus. 32. q. 7.* Gregorius III. consultus à Bonifacio Episcopo, utrum viro, cujus uxor propter infirmitatem debitum reddere nequibat, liceret secundum matrimonium celebrare? Respondit: *bonum esse, si sic permaneat; si autem noluerit, posse aliam uxorem accipere*: ergo propter infirmitatem supervenientem, tam quoad thorum, quam quoad vinculum, matrimonium dissolvitur & per consequens non rectè in præsentî docetur, per lepram su-

pervenientem conjugî, non dissolvi matrimonium.

Ad hanc difficultatem varix sunt responsiones Doctorum; rectior explicatio videtur esse, quæ dicit, Gregorium in dicto *c. Quod proposuisti*, agere de muliere, quæ inventa est ita arcta, & inutilis matrimonio, ut cognosci à viro non possit, propter ægritudinem, quam ignorabat maritus tempore, quo matrimonium contraxit; nam eo casu matrimonium nullum est *c. 1. de frigidis & malef.* Sic Archidiaconus, Turrecremata, & Card. Bellarminus *l. 4. de Rom. Pontif. c. 13.* apud Barbof. in *cit. c. quod proposuisti, n. 2.*

Si opponas: ex textu non apparere, quòd prius matrimonium fuerit nullum; cum dicat, non debere virum à priore uxore debitum subsidium auferre; Respondetur cum gloss. hinc, *V. nubar.* intelligi de dote restituenda; aut si de alio subsidio accipiatur, esse consilium.

QUÆSTIO IX.

In Titulum IX. De Conjugio Servorum.

HOc titulo agitur de impedimento dirimente matrimonium, quod nascitur ex conditione servilitatis, dum liber cum serva; vel libera cum servo contrahit, putans liberum. Et quoniam in hoc tangitur quæstio de errore conditionis, & cultus seu religionis diversitate, simul exponemus h. t. impedimentum dirimens, quod inducit error conditionis & disparitas cultus.

ARTICULUS I.

De impedimento ex conditione.

1039. Per conditionem, prout explicat impedimentum dirimens matrimonium, non intelligitur nisi *conditio servilis* (uti patet ex inscriptione hujus tituli) adeoque conditio & status illorum hominum, qui sunt servi *civiliter*, seu *legaliter*; hoc est, qui ex dispositione legis civilis ita subiacent alieno dominio, ut id, quod sunt, Domini sit, ad operas, & utilitates, quæ ex ipsis percipi possunt. Hæc subjectio jure civili quatuor modis seu titulis introducta est, nempe jure belli, nativitate, justâ condemnatione, ac emptione. sic Pereyra in

Elucid. l. 2. n. 825. Hinc illi, qui nullo ex præmissis titulo servi sunt, hic intelliguntur sub nomine hominis *liberi*. quo posito:

Communis regula est: quòd *conditio servilis ignorata dirimat matrimonium* inter liberum & servam; vel servum, & liberam. Hinc quando liber contrahit cum serva, putans liberam; vel libera cum servo putans liberum, matrimonium ex hac conditione ignorata, est nullum. *c. si quis homo ingenuus. 29. q. 2. c. fin. h. t. ibi: si consiterit, quòd ignoraverit contraxerit cum ancilla, ita, quòd, postquam intellexit conditionem servilem ipsius, nec factò, nec verbo consenserit in eam, contrahendi cum alia libera ipsi concedas, auctoritate apostolica facultatem.* Ex quo clarè sequitur conditionem servilem, ignoratam à libero, vel libera, dirimere matrimonium ejus cum serva, vel servo.

Not. autem 1. quòd hoc procedat, etiam si servitus esset *solum temporalis*; cum satis sit pro eo tempore, quo contrahitur, servam esse, etiam si libertas promissa sit, aut